

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Disputatio Inauguralis, proponens Quaestionem: An Muti
Et Surdi Ad S. Coenam Admittendi Sint?**

Loescher, Caspar

Wittebergæ, 1701

VD18 10148965

urn:nbn:de:gbv:45:1-17034

DISPUTATIO INAUGURALIS,
proponens Quæstionem:

**AN MUTI ET SURDI
AD S. COENAM AD-
MITTENDI SINT?**

Eam

PRO LICENTIA

Summos in Theologiâ Honores consequendi,

PRÆSIDE

CASPARE LOESCHERO,

S.S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. Consist.

El. Assessor, Ecclesiæ Pastore, ut

& Superint. Generali,

In Academiâ Wittebergenſi,

D. XXVIII. Julii, ANNO M. DC. XCII.

publicè solenniterque

defendet

JOH. GEORGIUS NEUMANNUS,

Professor Poët. hucusque Publicus, & Acad. Bibliothec.

nunc vocatus Professor Theol. Ordinarius.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

A. 1701.





res

Farbkarte #13

B.I.G.

1	2	3	4	5	6	7	8
Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

2 3 4 5 6 7 8



I. N. S. S. T.

§. 1.



Uod Deus benè vertat, stat sententia agere nunc de Quæstione Practicâ: *An, qui simul muti & surdi sunt, admitti possint ad Sacra Cœna usum?* Cùm enim & Quæstio ipsa, si absque certis limitationibus spectetur nuda, anceps esse videatur, & non raro Autores in ejus

decisione à se invicem discrepent, indeque, quibus sacra peragenda sunt, sæpius, quò se vertant, nescii sint, operæ pretium esse putamus, certos hâc in re ponere limites, quibus, si Quæstio circumscripta cautè consideretur, dubia, si non omnia, pleraque tamen, feliciter removeantur, plana que aperiatur via, quâ Conscientiæ tutè ambulare queant.

§. 2. Illud verò quò rectiùs fiat, rem omnem tribus includemus partibus, quarum *Prima* erit *Hypothetica*, quæ Hypotheses toti negotio inservientes proponet. *Secunda* erit *Thetica*, ex hypothesebus præmissis certas Conclusiones eliciens, remque adèò ipsam clarè & determinatè sistens, Quam *Tertia* demum, *Antithetica* nimirum, sequetur, in quâ, quæ nostræ & veræ sententiæ opposita sunt, aut opponi possunt, afferentur, & removebuntur.

A 2

§. 3.

§. 3. Supponimus ergo in *Parte I. Hypotheticâ omnium primò, Neminem ad Sacram Cœnam admitti posse, nisi probare se possit.* Ita enim divina vox & sententia per Paulum I. Cor. XI, 28, ait: *Probet autem seipsum homo, & sic, (aut ut Syrus reddit: & tunc, quando se prius probaverit,) de pane illo edat, & de calice bibat.* Probare autem est non solum se suasque vires examinare, sed & rem, quæ suscipienda est, debitò modò ponderare, atque ita ejus dignitatem, difficultatem, necessitatem, & utilitatem, si decenter peragatur, nec non damna atque pericula, si circa eam erretur, rectè intelligere. Eò modò David se probabat, an armis Regiis indutus Goliatho occurrere, eumque vincere idoneus sit? I. Sam. XVII, 39. Ad quam probationem non solum probantis, & ad sacram Synaxin accedentis certa requiritur cognitio, sed & quod ad Quæstionem nostram spectat, necesse est, ut admittens quoque probabiliter certus sit, admittendum se sufficienter probasse. Atque hæc ratio fuit, cur Ecclesia Orthodoxa Infantes, quos Antiqui nonnulli, ut & Græci quandoque ad S. Cœnam admittunt, ab ejus usu excluderint. Probare enim se non possunt. Quæ ad probationem hanc alia pertineant, repeti possunt ex B. Höpffneri librò de S. Cœnâ, *Tract. Practici, Sect. I. Artic. 2. Cap. I. p. 159. seqq.*

§. 4. Ejus autem generis probationem, qualis à Paulò requiritur, in mutis simul & surdis aut planè dari non posse, aut si detur, difficulter ab admittente cognosci, facilè intelligitur. Intelligit enim Apostolus non probationem aliquam externis solum membris instituendam, sed internam illam, mente conficiendam, ex viribus homini divinitus per gratiam concessis. Unde eam ita explicat, ut in fide & per fidem fieri debeat. Ita enim hanc probationem exponit II. Cor. XIII, 5, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.*

Ab



An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Hujus ergo generis probationem quis in eis quæret, qui nec verbum Dei audire, nec, quod per aliam quandam viam intelligant, dicere aut manifestare satis possunt? Dubia igitur hæc probatio ubi datur, ibi dubiam quoque & ancipitem esse admissionem, in propatulo est. Et contra, ubi probatio hæc per certa signa manifestatur, ibi non amplius dubiam esse admissionem, facile cognoscitur.

§. 5. Secunda hypothesis, quæ hic præmittitur, est, *Eum, qui admittitur ad S. Cœnam, debere credere.* Debet enim, juxta Paulum, *edere & bibere in commemorationem Christi*, I. Cor. XI, 25. Debet *annunciare mortem Domini*, v. 26. quod utrumque absque fidei præsentia fieri neutiquam potest, neque si fieri posset, *Deo gratum esset*, Ebr. XI, 6. Et quâ ratione commemorabit passionem, mortem, & meritum Christi is, qui ex verbo Dei ea nunquam didicit? Quò pacto annunciabit mortem Domini, quam ignorat? Pertinet huc Effatum Pauli, Rom. X, 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut, quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine predicante?* Quibus sanè verbis surdis hominibus omnis fides, fideique fructus denegari videntur. Sed videntur. Rectè enim Nostrates observarunt, loqui Apostolum hoc in loco (1) de adultis, quibus fides ingeneranda est, & (2) de ordinaria viâ, quâ Deus in convertendis hominibus adultis communiter uti solet. Quod enim ad infantes pertinet, producit Deus in iisdem fidem per baptismum, verum & ordinarium Regenerationis medium, etiamsi verbum Dei prædicatum nondum audire possint. Et habet Deus extraordinarias quoque vias suas, quibus ad fidem perducere homines potest, quod vel unicum Johannis exemplum, in
A 3 uterò



uterò matris suæ Messiam & agnoscentis, & exultatione venerantis, Luc. I, 44. quod absque fide fieri non poterat, satis comprobatur.

§. 6. Accedit *tertia Hypothesis*, quâ afferendum est, *conviviam S. Cœna dignum esse debere*. Nemo enim, de quo certe constat, eum esse indignum, ab Ecclesiæ ministro admitti debet, aut potest. Unde Paulus denuò I. Cor. XI, 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini NB, indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et Vers. 29. & 30. *Qui manducat & bibit NB, indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Consistit autem illa Indignitas potissimum in fidei absentia. Fides autem ibi esse non potest, ubi nulla est Christi, ejusque passionis, mortis, resurrectionis &c. ejusque meriti & satisfactionis pro nobis noticia. Et quis dijudicare poterit corpus Domini, si ignorat, quis sit ille Dominus? quodnam ejus corpus? quodnam ejus meritum? Plura de dignitate, ejusque antecedentibus, ingredientibus, & consequentibus, vide apud *Höpffn.* lib. cit. à p. 1. usque ad finem totius *Tractatus Practici*.

§. 7. Jam propiùs nobis accedendum est ad surdos atque mutos. Et ad surdos quidem, quia videntur destituti mediò, quò fidem ex verbo Dei nancisci ordinariè solemus: ad mutos autem, quia, an credant, vel minùs? dicere aut annunciare nequeunt. Ponemus ergo & hic, postquam antea de universis Cœnæ Convivis egimus, nonnullas quoque hypotheses à surdis & mutis in specie defumptas, nostroque instituto non inutiles. Sit igitur *Quarta: Surdi & muti alii à natiuitate tales sunt, alii demum post natiuitatem & annos, quos vocant, discretionis, tales sunt facti.* Priores, qui surdi mutique nati sunt, neque postea ad usum

loquelæ vel auditus pervenerunt, neque ulla sufficientia signa, quibus animi sui sensa indicare valeant, edunt, ferè tales sunt, qui misericordiæ divinæ relinquuntur. Aliter autem se res habet, si ex capacitate ingeniorum idonea produunt signa, ex quibus, quam rem, & quomodo intelligant, perspicere facile potest. Cum his enim, ut infra monebimus, cautiùs agendum est. Illi verò, qui post nativitatem, in pueritiâ aut adolescentiâ, quando jam elementa Religionis, aut aliquâ ex parte, aut satis hauserunt, casu aliquo surdi & muti sunt facti, non idonei videntur, si præprimis internam fidei præsentiam per externa signa sufficienter indicare possint, qui inter Convivas sanctissimi epuli admitti queant.

§. 8. Porro dari ejus generis homines, qui aut in pueritiâ, aut adolescentiâ, aut juventute, aut virili ætate, aut demum in senectute muti aut surdi fiunt, non solum quotidiana approbat experientia, sed & ingens exemplorum copia, quæ, si charta ferret, prælixè adduceremus, Notum ex Scripturâ Sacrà est exemplum Zachariæ, Luc. I, 20. Nota ex Scriptoribus profanis alia sunt, quæ paulò post afferemus.

§. 9. Deinde alii perfectè surdi sunt, alii verò tantùm surdastrî; alii penitus muti, alii difficulter loquentes aut balbutientes. De prioribus res difficilior est, de posterioribus verò faciliùs sententia ferri potest. Accedit, quod alii solùm sint muti, qualis erat Zacharias, Luc. I, 62. 63. intelligens ex nutu, quid vicini velint, alii solùm surdi, & quidem post nativitatem, quando jam loquendi usum sibi acquisiverant, tales facti, qualia exempla paulò post referemus, ex quorum relatione sententia ferri potest.

§. 10. Alii demum sunt stupidi, ad quasvis res addiscen-



discendas inepti, aut mentis non compotes, aut inidonei ad ea aliis indicanda, quæ in mente habent, aut volunt. Alii contra dociles sunt, remque omnem faciliè percipiunt, & quod eam perceperint, per non dubia signa alios edocent. Qualia exempla notatu non indigna passim observarunt eruditi, ex quorum penu pauca hic repetemus.

§. 11. Observavit *Nicolaus Tulpus* lib. IV. observation. medicar. cap. 18, fuisse quendam *Simonem Diedericum*, qui primum ex lapsu, deinde ex culpa agyræ auditus usu planè privatus fuerit, eâ tamen ingenii capacitate præditum, ut ex solo labiorum motu faciliè intelligeret, redderetque, quæ alii aut proximi aut remoti à se loquerentur, aded ut & Concionatorem è Cathedra loquentem, & hominem à se longè admodum remotum, si conspiceret tantum labiorum motus posset, feliciter intelligeret.

§. 12. Simile Exemplum observavit *Petrus Borellus* Centur. IV. Histor. & observ. Medico-Physic. observ. 23. in Nautâ quodam, qui cum puer casu quodam loquendi & audiendi usum amisisset, ingenii tamen felicitate eò pervenerit, ut loquentes aut clarè, aut submissè, quin imò eos etiam, qui labia tantùm moventes tacitè loquerentur, etiam si ad 25. pedes remoti essent, rectè intelligeret, quæque intellexerat, simili felicitate aliis indicaret, aut quærentibus responsa daret.

§. 13. Neque ignotum est insigne Exemplum, quod *Renelmus Digbaus* Tract. 1. de Immortal. animæ rationalis c. 28. p. 323. seqq. literis consignavit, testisq; ocularis, & auritus attulit de nobili quodam Hispano, qui planè surdus, certâ tamen institutione eo pervenerit, ut & homines quovis idioma loquentes intelligeret, & sui sensa animi aliis rectè & accuratè indicaret, non solum visibilibus signis, sed & linguâ, quam longâ & improbâ diligentia ad loquendum formaverat.

§. 14.



§. 14. Refert quoque *Caspar Schottus*, Jesuita, Lib. 3. Physic. curios. cap. 37, §. 3. novisse se in Sicilia Virum quendam plane surdum, qui itidem loquentes secum, aut tacite labia tantum moventes, accuratè intelligeret, & iisdem quoque responsa, quæ ad rem pertinerent, redderet. Ubi de Laymannò quodam addit, potuisse eum, post auditus amissionem, arte quædam & naturæ felicitate, ex labiorum motu, aut aliis etiam gestibus, intelligere, quæ alii vellent aut loquerentur.

§. 15. *Camerarius* in *Horis Succis*, Cent. I. cap. 37. adolescentis & virginis ex iisdem parentibus prognatorum meminit, qui ambo, quanquam muti & surdi fuerint nati, eadem tamen felicitate, quâ alii auditu res propositas perceperint, visu hauserint, easdemque, ut & alias, partim gestibus, partim scriptis literis reddiderint, sive profanæ eadem fuerint, sive sacræ. Et refert quoque *Zwingerus Physiol. Medicæ* c. 25. quendam *Ocolampadii* auditorem, si loquentem solum cernere oculis potuerit, dicta omnia & rectè intelligere, & quod intellexerit, satis certè indicare potuisse.

§. 16. Neque siccò pede prætereundum erat, quod *Gilbertus Burnettus*, in literis de itinere suo scriptis, Part. II. p. 222. de Virgine quâdam XVI. annorum eruditè retulit. Quanquam enim ea penitus muta fuerit, potuisse tamen visu percipere, quæ alii homines loquerentur, aut etiam tactu sentire, si modò in tenebris manu contingeret attingere eorum labia, qui cum ea loquebantur. Neque ignoti mihi sunt muti, qui & ex aliorum gestibus, quid velint, intelligerent, & aliis quoque per non dubia signa ea indicarent.

§. 17. Porro à scopo nostro non multum abeunt duo exempla, quæ post alia à nobis quoque antea adducta, ex

B

Schel-



Schelhammeri Tractatu de Auditu recitat *Schmidius* in Dissertatione, cujus Titulus est: *Surdus de sono judicans*, pag. 6. & 7. Primum est de Viro, in virili demum ætate ita obfuscescente, ut nihil auribus perciperet, per os tamen, & dentes exactissimè sonum caperet. Pulsasse enim eum testudinem pariter ac Gymbalum, quod nos Instrumentum appellare solemus, scitissimè, atque etiam chordas in sonum quaslibet suum perfacilè adaptasse, neque horum modò, sed & quorumlibet Instrumentorum, mediante baculo, cujus alterum extremum dentibus prehenderit, alterum illi instrumenti parti, cui chordæ ultimò incumbunt, applicuerit, & sic sonos distinctissimè percepisse. Alterum ex *Cabrolii* Tabulis anatomicis depromitur. Hic enim testatur, ostensum sibi esse architectum quendam, qui cum forte surdus evasisset, nihil quicquam auribus potuerit amplius percipere; percepisse autem rectè, si quis alter in ipsius ore aperto voces edidisset.

§. 18. Hæc certè ita comparata sunt, ut ex iis addisci possit, esse quosdam mutos atque surdos dociles adeò, ut deficiente auditu, aut loquendi facultate, ipsi tamen aliis præditi sint mediis, per quæ & addiscere eadem possint, quæ alii auribus hauriunt, & eadem quosque agere, & aliis communicare absque loquela, quæ alii non nisi hæc mediante proferre aut solent, aut possunt. Cætera, quæ huc referri potuissent, videantur apud *Ægidium Menagium* in *Amœnitatibus Juris Civilis* Cap. XXVII, pag. 154. seqq. ubi agit de *Surdò audiente*. Et apud *Schmidium* jam laudatum, pag. 24. seqq. Nos enim ob evitandam prolixitatem his acquiescere cogimur. Id tamen superioribus addere debemus, discrimen habendum esse inter mutos surdosque ex parentibus Christianis natos, qui propiùs aliquod jus ad beneficia Ecclesiastica possident, & inter eos, qui ex pa-
renti-



rentibus non Christianis orti sunt. Atque hi aut permanent in potestate Parentum infidelium, aut in potestatem perveniunt fidelium herorum. Discrimen hoc multum prodesse infra videbimus.

§. 19. Tandem ad *Hypotheses* quoque referenda quaedam sunt ex parte Ministrorum Ecclesiae S. Coenam administrantium, quorum quippe alii *minus Sagaces* sunt & *valde simplices*, alii contra *Sagaces, prudentes & cauti*, quibus plus credendum tribuendumque est, quam prioribus. Circumspiciendum praeterea est, suscipiatne admissionem mutorum & surdorum Minister Ecclesiae solus & absque consilio aliorum, an alios, sive aequales illi sint, sive superiores, trahat in consilium & auxilium, quod eo securius agat, sibi que soli non nimium fidat, deterritus Ulfæ exemplo 2. Sam, VI, 6. seqq. Et quanquam sint, qui soli in pagis, vicis aut oppidis degant, habent tamen illi & vicinos, & Confratres, & Ephoros & Consistoriales, quos in re dubia consulere par est.

§. 20. Verum his praemissis & praesuppositis, res a nobis postulat, ut ad *alteram partem, Theticam* nimirum progrediamur. Ea ex praecedentibus & facilius & brevior erit. Quanquam ergo sint, qui Quaestionem nostram plane negant, aut negare satagunt, in quibus *Andreas Hyperius* est, cujus Judicium de Quaestione nostra vide apud Dedekenn. Part. I. Consil. f. 605. seqq. rectius tamen faciunt illi, qui eam affirmare non cessant. Proferemus hic nonnullorum, eorumque potiorum sententias, & deinceps, quid nos sentiamus, breviter exponemus.

§. 21. Primas hic merito Lutherus tenet, qui Tom. I. Jenens. f. 339. Tom. VII. Witteberg. fol. 38. & Tom. I. Altenburg. f. 525. b. ita de quaestione nostra sentit. Es haben etliche gefragt/ ob man den Stummen auch soll das Sa-

B. 2

cras



crament reichen. Eliche meynen sie freundlich zu betriegen/
und achten/ man soll ihnen ungesegnete Hostien geben. Der
Schimpff ist nicht gut/ wird auch Gott nicht gefallen/ der
sie so wohl zu Christen gemacht/ als uns/ und ihnen eben das
gebührt/ das uns. Darum so sie vernünfftig sind/ und man
aus gewissen Zeichen mercken kan/ daß sie es aus rechter Christ-
licher Andacht begehren/ wie ich oft gesehen habe/ soll man
dem Heil. Geist sein Werk lassen/ und ihm nicht versagen/
was er fodert. Es mag seyn/ daß sie inwendig höhern Ver-
stand und Glauben haben/ denn wir/ welchem niemand soll
frevell widerstreben. Lesen wir doch von S. Cypriano, dem
heiligen Märtyrer/ daß er den Kindern ließ geben auch beyder
Gestalt zu Carthago/ da er Bischoff war/ wiewohl nun das
selbige aus seinen Ursachen ist abgegangen. Christus ließ die
Kinder zu ihm kommen/ wolte nicht leiden/ daß ihnen jemand
wehrete. (Matth. 19. v. 13. 14. Marc. 10. v. 14.) so hat er auch
seine Wohlthat weder Stummen noch Blinden/ noch Lah-
men versagt/ warum solte denn sein Sacrament nicht auch
denen werden/ die sein herzlich und Christlich begehren?

S. 22. Lutherum sequitur fidelis Collega, Johannes
Bogenbagus, Pomeranus, qui Anno M. D. XLIV. ad Geor-
gium Spalatinum de quaestione nostra sequentem tulit sen-
tentiam: (Epistola hæc manuscripta est, nondum edita.)
*Eucharistiam porrigimus surdis & mutis, illis videlicet, qui
libenter & desideranter adsunt Sacrae communioni, & signis
videntur hoc postulare, sicut baptizamus parvulos in Chri-
stum, & in mortem Christi, qui etiam sunt muti & surdi, ut
qui nondum intelligunt. Et video in Evangelio Christum
non contemnere surdos & mutos, sed facere, ut surdi audi-
ant, & muti loquantur. Christus mortuus est propter ho-
mines, isti surdi & muti sunt homines. Ergo Christus
etiam pro eis mortuus est. Nos igitur sc. surdis & mutis in
Chri-*



Christum & Christi mortem baptizatū, ubi per certa signa postulant, negemus Eucharistiam, pro quibus Christus mortuus est?

§. 23. Jungemus huic *Philippum Melancthonem*, qui in *Lib. Consil. Theol. p. 268.* De *mutā*, inquit, exemplum habemus *Gothæ*. Illa per gestus significat, se intelligere aliquid de *Evangelio*. Monstrat *Christum* in libellis pictis, monstrat seipsum, & *crucem* ostendit. Sic significat *Christum* pro nobis passum esse. Ac utile esset, illam *mutam* vestram etiam assuesieri ad spectandum libellos tales, qui continent pictam *Christi* historiam. Sentimus autem, admittendam esse ad *Cœnam Domini*, si aliqui videtur rationis compos, & sine turpitudine vivit.

§. 24. Non aberrabimus, si *Pauli* quoque *Eberi*, Pastoris olim *Wittebergensis*, sententiam hic enarremus. Ita autem ille in literis ad quendam *Ecclesiæ Ministrum*, datis *XII. Jun. A. M. DC. LXI.* Reverende Domine Pastor, ego quoque sum in eâ sententiâ tecum, ut putem *sacrosanctam Cœnam Domini* cum summâ reverentiâ & iudicio tractandam, & non facile admittendos esse, qui vel per atatem, vel alium defectum prorsus non intelligunt verum usum *Sacramenti*, cum *Paulus* diserte præcipiat, probet se ipsum *Homo, &c.* Sed quia scribis, hunc mutum & surdum, de quo consultus es, longo tempore assiduum fuisse spectatorem ceremoniarum, & talia signa edere, ex quibus conjectura capi potest, cum aliquid tamen ratiocinari de re, qua ibi exhibetur, & de fine cur sumatur, ego sanè ita cupidè expetentem usum *Cœnae*, nescio, an queam arcere à *sacra Synaxi*, si tibi talis casus in hac *Ecclesiâ* objiceretur. Experimur in ejusmodi imbecillibus, ut in pueris & aliis, interdum lucem & operationem *Spiritus Sancti* mirabiliter efficacis, aliquando per picturas non aliter, quam per vivam vocem auribus haustam. Vellem tamen



si adhibitis picturis possit ejus captus & intellectus, de prae-
cipuis partibus Catecheseos explorari, ut ad sequentem modum
examinaretur. 1. An agnoscat se esse peccatorem? 2. Quis
pro Peccatis satisfecerit? 3. Quem Deum invocet? 4. Quot
sint persona divinitatis? 5. An credat se baptizatum? 6. An
cupiat absolvi à peccatis per Ministerium. 7. An corde
& mente invocet DEUM? 8. An serio expectat Eucharisti-
am? 9. An velit pie vivere & peccata vitare? Et si quid
tale manifestatione picturarum, & gestibus, confessionis loco
ederet, atque sic conspicerentur signa mentis non prorsus a-
liena à doctrina fundamentis, vellem eum in nomine Domini
ad Cœnam Domini admittere. Et audiui talia exempla,
ubi tales muti & surdi ab aliis quoque admissi sunt ad com-
munionem. Christus certe ad se admisit, & sanavit surdum
& mutum. Marc. 7. Et Antiquitas, ut Augustinus refert,
etiam infantes voluit fieri participes corporis & sanguinis
Christi. Puto igitur in tali casu, adhibita prudentiâ & re-
verentiâ debitâ, posse mutis & surdo concedi usum sacratissima
cœne Domini

§. 25. Nec præteribimus ea, quæ hæc de re Dede-
kennus Part. I. Consil. f. 604. seq. de Hallensi quo jam sur-
do & mutis ex Actis consignatum reliquit. Die Parasce-
ves, scribit, Annò 1589. N. N. surdus & mutus, admissus ad
usum sacre Synaxeos, suum desiderium & fidem conjunctionis non
contemnendis demonstravit. (1) Contritionem ob admissa
peccata percusso pectore, & oculis in cœlum sublatis suspi-
rans indicavit. (2) Fidem demonstravit manu sublata in
cœlum, & ostensâ Christi crucifixi imagine, innuens, se jam
cum Deo reconciliatum, per Christi passionem & mortem.
(3) Vitæ emendationem nutu capitis promisit. (4) Veram
Corporis Christi presentiam in Cena ostendit, admo-
to digito ad os, & oculis in cœlum sublatis idem Christi corpus, quod

in



in caelis est, ad dextram DEI sedens, in Coena S. manducari innuens. Sanguinis praesentiam ostenso latere monstravit eundem sanguinem, qui è Christi latere effluxit, in S. Coenâ bibi significans. (5) Causam impulsivam, quâ motus Absolutionem & usum sacrae Synaxeos petat, digitis faciem fricans ostendit, innuens se dignum esse, qui à Satanâ perpetuo cruciatu conficiatur, nisi peccatorum remissionem consequatur, & vitam emendet. (6) Finale causam, manu & oculis in altum sublatis monstravit, se propterea uti sacrae Synaxi, ut regni caelestis & vitæ aeternae particeps fiat, significans. (7) Denique dictum Job. 3. Sic Deus dilexit mundum & c. & Christi nomen manu sua literis sacris elegantibus, germanicè in papyro scripsit. Quibus omnibus satis superque testatum fecit, se rem ipsam probè intelligere, licet verbis eam exprimere non possit. Actum Hala in Sacratio Templi Ulricani ipsò Die Parasceves, horâ sextâ matutinâ, praesentibus M. Paulo Nicandro, ejusdem Ecclesiae Pastore, & M. Philippo Gallo, tum temporis Subdiacono: Item Friderico, Bartolomæo & Christophoro N. N. tñ nō quæ illius fratribus & interpretibus.

S. 26. Nec abscondit sequens, quod in eodem loco deprehendimus, exemplum, notatu non indignum, quod ita se habet. Anno 1564. die 23. Augusti, in Visitatione Archiepiscopatus Magdeburgensis & Halberstadiensis Dioeceseos, inter cetera hæc annotavit M. Sebastianus Boëtius, Pastor ac Superintendens Ecclesiae Hallensis pag. m. In arce Webelingensi est Eques surdus & mutus, minister mensæ, diligens & industrius, observans omnes nutus Convivarum. Is observabat me: sequens gressus omnes, levans manus cum gemitu, oranti similis, cælum monstrans: tandem intellexi, cupere ipsum accedere ad sacram communionem. Ex Pastore quaesivi, Ecquid eum nosset? Is exposuit, diligentem eum esse

in templo, flectere genua ad nomen IESU, genuere ad altare: hactenus autem non admissum ad communionem. Ego jussi Pastorem observare ejus gemitus, & non arceri eum ab Altari. Id statim sensit mutus, & porrigens manus incurvatus est, ut qui gratis mihi ageret, quod judicaret, eum admittendum. Postea adeo diligenter me observavit, ut intelligerem ejus affectum, & mirarer animum peccati detestatum. Picturam Passionis Domini nutibus gestibusque interpretabatur, Christum monstrans, caelum aspiciens. Hanc Homini conditionem duxi annosandam, non enim vidit aem. Memini tamen, Isenaci esse puellam filiam Christiani Cotta admissam ad communionem ex Consilio D. Lutheri. Ipse ego audivi Lutherum respondentem in illo casu: Si adsunt signa desiderii, non rejiciatur ab altari, & postea ea saepius communicavit.

§. 27. Nec aliter sensit Iohannes Gallus, Professor Erfurtenfis, in Methodo Doctrinae de Coena, quam ibidem Anno 1578. edidit. Ita enim in Quaest. rem determinavit: Mutis omnino porrigendum est Sacramentum, si tamen ex evidentibus signis animadvertitur, quod se peccatores, Christum vero suum Salvatorem agnoscant, & toto corde hoc Sacramentum appetant, sicut ego hic Erphordia aliquoties cuidam muto, eique simul surdo, Coenam exhibui, qui eam desiderans, oculis sursum ad Coelum sublatis, manibusque complicatis alte suspirabat, & deinde mensam cum Christo adstante, & discipulis assidentibus panem & calicem distribuyente, in scamnum, sive parietem pingebat, ac postea accepta absolutione devotissime ad altare, corpus & sanguinem Redemptoris sumpturus accedebat. Hac ibidem Gallus.

§. 28. Non discedit ab hac Sententia Leonhardus Hutterus, ceu patet ex Locis ejus f. 729. Neque Gerbardus, qui



qui in locò de Coenâ §. 226. de Quæstione nostrâ agens hoc modò concludit: Cùm in aulâ Principis laudatissimi Johannis Casimiri, Saxonix Ducis, Anno 1613. sacris Confessionibus audiendis, vacante aulici Concionatoris munere, præficerer, accedebat inter reliquos quidam mutus & surdus ex Principis famulitiò, qui non solùm mirabilibus gestibus peccatorum suorum agnitionem & fidem in Christum testabatur, sed etiam confessionem manu suâ scriptam exhibebat, quem unâ cum reliquis ad usum sacræ Coenæ admittere non verebar. Exempla huic paria penè innumera, si res ferret, adduci possent.

§. 29. Quæ præterea hanc in rem egregia consignavit *B. Balduinus* noster, digna quidem sunt, quæ ab omnibus diligenter legantur & studiosè expendantur; nolumus tamen, prolixitatem fugientes, describere, cùm præsertim non solum apud eundem facilè evolvi queant, præprimis in *Librò de Casibus Conscientiæ Lib. II. Cap. XII. Cas. 12.* & in *Comment. in Epist. ad Romanos fol. 199. edit. noviss.* Seu p. 679, edit. primæ, sed & ex eodem excerpta dederit *Dunte* in opere *Casuum Conscientiæ*, & ex hoc repetierit *Opus novum Casuum Conscientiæ*, in quò, quæ præter hæc *Duntius* Germanica habet, latinè translata extant, f. 383.

§. 30. Digna etiam sunt, quæ huc transcriberentur, multa apud *Finckium* in *Quæstionibus Illustrib. pag. 954.* *Höpffnerum* in librò de Coenâ, Part. 1. pag. 382. seq. *Osiandrum* Part IV. *Theol. Casual. p. 450. seq.* *Haberlinum* in *Specim. Theol. Practicæ, p. 169.* aliosque, ad quos brevitatis causâ Lectorem benevolum remittimus, unum ex *Dieterici* *Mysteriologiâ pag. 275.* addentes. *Allegat is D. Sacci Auctoritatem ex Postillorum parte quartâ fol. 104. & refert exempla muti & surdi cujusdam Ulmani, & duorum Noribergensium, trium item fratrum Thuringicorum, qui poenitentia ac fidei suæ editis signis hujusmodi ad Sacram Cœ-*

G

nam



nam sunt admissi. Ipse verò addit memorabilem casum, qui tempore Antecessoris sui, D. Job. Wesenbecii, in Diocesi Ulmanâ contigerit, Anno 1610. Nam Geislingia sub ditione Ulmanâ civi cuiusdam fabro armamentario, ex unâ & eâdem conjugè octo liberos mutos surdos refert natos esse, quatuor masculos & quatuor fœmellas. Et ventilatis in utramque partem Argumentis questionis: An tales communionem petentes sint admittendi? pro affirmativâ decisum esse. 1. Quia sint integræ & inculpatae vitæ. 2. Sedulo frequentent conciones Sacras. 3. Cultum divinum admirentur. 4. Ingeniosissimæ sint sagacitatis, ut visa quæque in artificio imprimis fabrili admiranda felicitate imitentur. 5. Scholam non solum frequentarint, & elegantem non solum scripturam didicerint, sed DEI Christique nomina & rerum sacrarum figuras indicibus certis jussu, possint scribere & depingere. 6. Certis denique signis suam in DEUM devotionem, in Christum crucifixum spem, & desiderium cœnæ Dominicæ declarent.

S. 31. Nostrarum partium nunc est, ut ex præmissis ræticè concludamus, quid tandem de Quæstione nostrâ statuendum nobis sit. Concludimus ergo, non admittendos esse ad S. Cœnam eos (1) mutos & surdos, qui infideles ex parentibus infidelibus nati sunt, interque infideles pertinaciter permanent: Sanctum enim non est projiciendum canibus, Matth. VII, 6. Nec admittendi sunt (2) illi surdi atque muti, qui vel ex Parentibus Christianis nati, vel nati infideles ad Christianorum castra pervenerunt, sunt tamen aut amoræ mentis, aut planè stupidi, (ita enim probare se non possunt, contra 1. Cor. XI, 28.) aut impiam vivunt vitam, suntque aded inter porcos referendi, Matth. VII, 6. aut Sacram Cœnam, etiam admoniti, planè non desiderant, aut nulla suæ fidei desideriique signa volunt aut possunt edere, sicque indicare, credere se, juxta 1. Cor. XI, 25, 26. posseque dijudicare Corpus Christi,

sti, & se dignos convivas sistere v. 27. 29. 30. Quin imò non facile (3) eos quoque admittendos esse censemus, qui signa quidem edunt, sed admodum dubia. Præstat enim in dubiis manum retrahere, quàm conscientiam dubiam fluctuare & in pericula incidere.

§. 32. Admittendos autem eos esse censemus, qui (1) aut ex parentibus Christianis nati, aut in Christianorum potestatem redacti sunt: horum enim est regnum Cælorum, Marc. X, 14. Qui (2) dociles adeò sunt, ut omnia facile percipiant, qualia exempla suprâ sunt à nobis allata, quique certè satis indicare possunt, se rem propositam rectè intellexisse, sive ea profana sit, sive Sacra. Quanquam enim hi verbum Dei audire nequeunt, dedit tamen eis Deus alia quædam media, per quæ ad sensum voluntatis divinæ, non solum Legalis, sed & Evangelicæ, pertingere possunt, neque Spiritus Sanctus in iisdem inefficax est, uti docet exemplum, non solum Johannis, sed & cujuslibet infantis Christiani, quando baptis matis lavacrò initiatur. Joh. III, 7. 8.

§. 33. Admittendi (3) etiam illi sunt, qui Sacra amant, Concionibus & Sacramentorum administrationi studiosè & peramanter adsunt, Ecclesiæ Ministros colunt, devotè & piè vivunt, desideriumque erga S. Cœnam signis non indubiis identidem produnt. De his enim dubium admodum non est, eos probare se 1. Cor. XI, 28, credere 1. Cor. XI, 25. 26. & dignos eosdem velle convivas esse 1. Cor. XI, 29. 30. Quod si enim in cæteris rebus, quas, non auditu, sed visu tandem perceperunt, nec intelligendis, nec reddendis fallunt, cur sperare aut credere nolimus, eos in rebus quoque spiritualibus à Deo, omnium hominum salutem quærente, non relinqui? Neque rejiciendi (4) surdastrî sunt, aut balbutientes, si modò sufficientia pœnitentiæ signa prædiderint. Neque (5) illi, qui, postquam priùs

C²

facis



fatis informati in fidei capitibus erant, tandem surdi aut muti facti sunt.

§. 34. Temerè tamen hic nihil faciendum. Neque enim licitum est cuilibet Ecclesiæ Ministro, etiam non satis erudito, non satis perito, non satis exercitato, non satis sagaci, aut prudenti hâc in re agere, quod ipsi videtur: sed prudenter & cautè negotium hoc tractandum est. Consulendi vicini, Collegæ, eruditiores, exercitiores, prudentiores, pares, superiores imprimis, Pastores, Inspectores, Superintendentes, Ministeria & Consistoria, & quicquid postremi consultum putaverint, id demum faciendum, ne conscientia malè consulatur. Feliciores enim illi sunt, qui cautè ambulant; infeliciores, qui temerariè & ex perversâ animi persuasionem rem præcipitant.

§. 35. Atque horum spectant illa omnia, quæ suprâ latiùs, partim in hypothésibus, partim in Thesi fuerunt allata. Sunt enim causæ non leves, ob quas surdi atque muti à communione S. Cœnæ non planè sunt removendi. Adduxit quasdam Lutherus §. 21. quasdam cæteri, imprimis *Bugenhagenius* §. 22. ut reliquos taceamus. Sed & nos nonnullas addemus. *Primò* enim Deus mutos & surdos quoque salvos esse vult, 1. Tim. II, 4. 2. Petr. III, 9. Ezech. XVIII, 32. c. XXXIII, 11. *Secundò* Christus etiam pro mutis & surdis est mortuus, iisdemque vitam æternam acquisivit, 2. Cor. V, 15. Ebr. II, 9. 1. Joh. II, 2. c. IV, 14. 1. Tim. IV, 10. Matth. XVIII, 11. Luc. XIX, 10. Gal. IV, 5. 1. Tim. I, 15. 1. Petr. I, 18. 19. *Tertiò* Seria Dei voluntas est, ut omnibus promerita salus etiam ad omnes perveniat. Hinc prædicatur Evangelium omni creaturæ, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 20. Act. I, 8. c. XVII, 30. 31. Luc. XXIV, 47. 2. Cor. II, 14. Col. I, 6. & 23. Hinc baptizandi sunt omnes. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 16. Hinc omnes, qui se probare possunt, frui



frui debent S. Coenà 1. Cor. XI, 28. Verbo igitur divino consentaneum non est, velle surdos & mutos, si se probare possunt, à S. Coenà arcere, eosque hòc salutis medio privare.

§. 36. Intellexit hoc Concilium Carthaginens. IV. Canonem LXXVI, juxtà *Carranzam* p. m. 82. b. de hác re idèd hunc in modum formans: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, &c.* Ad quem Canonem Concilii hujus *Gratianus* in Decretò Causà XXVI. Quæst. VI. C. octavò, provocavit, eumque iisdem verbis repetit. Editores quoque recentiores ejusdem Decreti commendant consentientes *Ca. l. 5. c. 75. Poly. l. 8. tit. 1. Burch. l. 8. c. 10. Ivon. p. 15. c. 8.* Surdorum autem eandem hic habendam esse rationem, causæ identitas suadet.

§. 37. Jam & *Hieronymus* huic sententiæ adstipulatur, *Lib. 1. Comment. prioris & prolixioris in Epistolam ad Galatas*, (duplices enim Commentarios in eandem Epistolam nobis reliquit;) in enucleatione Capitis III. Tom. IX. oper. fol. 133. edit. recentiss. & fol. 171. edit. Basileensis. De nostrâ enim Quæstione ibidem hunc in modum acutè disputat: *Quærat quispiam, si fides non est, nisi ex auditu, quomodo qui surdi nati sunt, possunt fieri Christiani? Deum quippe Patrem ex magnitudine & pulchritudine creaturarum potest quis intelligere, & à conditionibus Conditor consequenter agnoscitur. Christi autem natiuitas, crux, mors, resurrectio, nisi ex auditu sciri non potest. Aut surdi igitur Christiani non sunt, aut si surdi sunt Christiani, falsum est, quod alibi ab Apostolo dicitur. Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum DEI. Ad quod, qui simplici responsione contentus est, dicit, non eum generaliter dixisse:*

C 3

dixisse:



dixisse: fides omnium ex auditu est, sed fides ex auditu: quod
est in parte, et in toto accipi potest: eorum scilicet, fides ex
auditu est, qui audiunt, et qui credunt. Qui autem huic
scrupulo satisfacere conatur, prius illud tentabit asserere,
quod nutibus quoque et quotidianâ conversatione, et ut ita
dixerim, totius corporis loquente gestu, surdi possint Evan-
gelium discere: deinde etiam hoc, quod DEI sermo, cui nihil
surdum est, ad eas magis loquatur aures, de quibus ipse ait in
Evangelio (Luc. 8. v. 8.) Qui habet aures audiendi audiat,
et in Apoc. (C. 2. v. 7.) qui habet aurem audiat, quid spiritus
dicat Ecclesius, et Esaias: Dominus addidit mihi auriculam.
Iste est alius Homo, cui DEUS loquitur in occulto, qui clamat
in corde credentis (Rom. 8. v. 15.) Abba Pater: Et (ut fre-
quenter exposuimus) quomodo corpus omnia membra et sensus
habet, ita animam quoque universos et sensus et membra
habere, et inter cetera aures etiam, quas qui habuerit, non
magnopere indigebit his auribus corporis, ad Christi Evan-
gelium cognoscendum. Simul autem etiam illud attendite,
quod hic Spiritus absque ullo additamento Sanctus intelli-
gatur, quem et dono consequimur, et non hominis, de quo alibi
scribitur. (Sap. 12. v. 2.) Incorruptus Spiritus est in omnibus
et Ipse Spiritus testimonium reddet spiritui nostro, et in
alio loco: Nemo scit ea, quae in homine sunt, nisi Spiritus ho-
minis, qui est in eo, et in Dan. (3, 36.) Benedicite Spiritus et
animae iustorum Dominum.

§. 38. Ubi observatu dignum est (1) Beatum Patrem
consentire nobiscum in explicatione loci Paulini Rom. X,
14. utpote, qui & ipse vult, Apostolum non generaliter
dixisse, fides NB. omnium, ex auditu, sed fides ex auditu, eo-
rum scilicet, qui audire possunt, & audiunt. Deinde (2)
asserit, posse absque auditu hominem quoque fieri cre-
dentem. Unde B. Calovius rectè in Synopsi Controver-
siarum

fiarum illustratâ p. 773, scripsit: *N. V. C. fides est ex auditu, Ergò solum ex auditu.* Tertio testatur, mutos & surdos gestibus quoque & nutibus non solum res intelligere, sed & quod intelligant, aliis indicare posse, id quod exempla à nobis suprâ allegata affatim probant. Et tandem (4) rectè non solum ad aures provocat animæ, sed & ad Spiritus Sancti admirandam vim, quæ ex suâ parte ad viam ordinariam se non adstringit, aut adstringi patitur. Taceo, quod Coccejus in System. pag. 26, n. 14. statuit, per auditum in locò Paulinò omnem præceptionem verbi divini intelligendam esse, ut ad eò *auditus* per Synecdochen Speciei positus sit pro generali perceptione quâlibet, quocunque demum modò illa fieri possit.

§. 39. Et certum est, cum æquè Deus per *lectionem* verbi sui mentes hominum convertat, ac per *auditum*, non necessariò hic intelligi debere *auditum*, specialiter ita dictum, & cuius aliæ perceptioni contradistinctum. Accedit, quod Evangelium Christi, non præcise ejus sonus auribus perceptus, sit potentia DEI ad salutem omni credenti Rom. I, 16. Quod si igitur DEUS idem Evangelium absque sonò hominibus manifestat, nullum est dubium, quin per illud salvari queant. Pertinent huc, quæ Gregorius Lib. IX. Epist. 9. de hâc re scribit: *Quod legentibus Scriptura, hoc idiotis cernentibus præstat pictura.* Et Gregor. Nyssenus super Cantic. *Εἰκονομαδία Ἰη. μινυμα καὶ βίβλοι ἀγαπημάτων καὶ συλογεαφία.* Nec non Hieronymus Epist. 7. ad Sever. Episcopum: *Pictura in Ecclesiis adhibeantur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videant, legant, quod in codicibus legere non valent.* Scilicet id volunt ex mente Orthodoxorum consentiente, & stylò *Osandri*, si muti & surdi gestibus ostendunt Christum crucifixum, postea & se ostendunt, quò gestu applicationem crucis



crucis Christi ad se faciant, levatis manibus ad cœlum, tunc
sione pectoris, lacrymis etiam serium de peccatis suis dolo-
rem declarant, administrationi Coenæ libenter interfunt, &
desiderium Corporis & Sanguinis Dominici, ostensâ hostiâ
& calice, admotaque manu ad os, præ se ferunt, vel etiam
hæc omnia scriptis literis de se testantur, nihil obstat, quò
minus ad S. Coenæ usurpationem admittantur, & pro dignis
Convivis habeantur.

§. 40. Hactenus de *Theſi*, sequitur nunc, sed pau-
cis, pars *tertia, Antithetica*. Scilicet quod fieri in cæteris
solet rebus, id in nostrâ quoque Quæstione accidit. Pec-
catur enim hic æquè in *excessu*, ac in *defectu*. Approbanda
namque eorum consilia neutiquam sunt, qui omnes in-
differenter mutos atque surdos admittendos esse censent,
sive ex paganis sint parentibus, sive ex Christianis; sive
probare se possint, sive minus, sive sufficientia notitiâ de-
siderii que signa edant, sive id non præstent; sive admit-
tens satis certus sit de admittendorum dignitate, sive ad-
modum dubius, aut planè incertus. Non videntur hi sa-
tis æstimare aut dignitatem Sacramenti, aut severissimas
pœnas, in quas indignus æquè admissus, atque impruden-
ter admittens sese præcipitant. Horrorem incurere de-
bebant his *Pauli* verba, I. Cor. XI, 27. *Quicumque mandu-
caverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus
erit corporis & sanguinis Domini*. Expendere seriò debe-
bant piæ Sanctorum Patrum Sententias, imprimis *Chryso-
stomi & Theophylacti*, qui severè asserunt, indignum Con-
vivam reum esse *cordis Dominicæ equi*, ac si *Dominum occi-
disset, & Sanguinem Christi effudisset*. Nec non *Cypriani*,
quam in *Sermone de Lapsis* sequentem habet: *Vis infer-
tur corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinqui-
tur*. Ut & *Ambrosii* in *Cap. X. ad Ebraeos*: *Hoc pacto concu-
catur*

catur corpus Domini. Conferatur etiam *Basilius Serm. 2.* de Bapt. cap. 9. Atque hæc non vera solum sunt de edentibus, sed & de temerariè aut malitiosè porrigentibus. Sunt enim tales servi malitiosi, qui creditos sibi à Dominò The-
sauros planè incomparabiles pessimè administrant, & per-
dunt, digni, qui à Dominò severissimè puniantur, *Luc. XVI,*
1. seqq.

§. 41. Nec minus tamen illi quoque errant, qui aut omnes mutos atque surdos absque omni exceptione, aut multos saltem eorum absque sufficiente ratione exclusos volunt. Et ex priori quidem ordine unus & alter se mihi obtulit, peccatum enorme æstimans, si Ecclesiæ Mini-
ster ejus generis homines ad S. Coenam admittat. Niti volunt hi homines inprimis Pauli locò ad *Rom. X, 14.* sed iis satisfactum esse arbitror suprà §. 5. atque 38. Neque ponderis est sufficientis illud argumentum, quò demon-
strare volunt, neminem satis certum esse posse, mutum aut sufficienter informatum esse in tantò Mysteriò, aut verè credere, aut se non decipi per signa à mutò edita. Quod si enim muti capacis sunt indolis, si in rebus aliis non sunt indociles, si satis quoque certa indicia, quæ fallere facilè non possunt, prudentibus præbent, cur si idem in nostrò quoque negotiò præstent, catus cautusque Ecclesiæ Mi-
nister præter modum dubitet, aut, se decipi, putet, si in aliis negotiis ab eodem mutò nondum sit deceptus; cum præprimis in mutis Christianis, qui in infantia baptizati sunt, consideranda sit *Vis Baptismi*: *Est enim Baptismus organon Regenerationis, per quod tales surdi & muti nati fidem in Christum sunt adepti. Idè Spiritus S. in iisdem augere & continuare potest χάρις quæ sua per motus suos supernaturales, quibus ineffabiliter est efficax, verba sunt B. Höpffneri Part. I. de SS. Coena p. 382. Spiritus enim, ubi vult, spirat, Joh. III, 8.*

D

§. 42.



§. 42. Ex iis, qui non omnes quidem, multos tamen mutos atque surdos absque causâ sufficiente à Cœnâ rejiciunt, eminet *Andreas Hyperius*, vide suprâ §, 20. Is in *Judicio de Quæstione nostra latô*, non solum omnes indifferenter *mutos atque surdos simul natos*, sed & eos, qui *tantum surdinati* sunt, à communione SS. Cœnæ amovendos asserit. Sed rationes, quibus, ut id statueret, permovebatur, tantæ non sunt, ut ad ejus partes nos conferamus. Quod si enim (1) de universali Dei benevolentia, quâ is omnes homines salvos esse vult, omnibusque hominibus sufficientia ad salutem perveniendi media ordinavit, non dubitat, cur (2) si muti atque surdi sufficientibus produnt signis & indiciis, se & credere, & desiderare S. Cœnam, idque (3) Ecclesiæ Minister ex externis illis signis satis percipit, neque (4) aut solæ aures ad fidem percipiendam, aut sola lingua ad confessionem edendam à Deo datæ sint, deque surdis atque mutis (5) in infantia natis certum sit, eos in fide permanere aut permanere posse, cur (inquam) Hyperius iis Cœnam negare audeat? Sed ea omnia ita se habere, res ipsa clamat, E.

§. 43. Sed & præter Hyperium ex Pontificiis errat *Jacobus Marchantius*, cujus Sententia, quam erroneam esse putamus, sequens est: *Surdus & mutus à nativitate videtur saltem in periculô mortis posse Communionem muniri, si aliquam judicetur reverentiam concipere; nec idem de illô est, ac de pueris judicium, cum discretionis lux in eò fulgeat, juvarique possit lumine naturali ad dispositionem speciali benignitate Dei.* Non unô modô hic peccat Marchantius. Cur enim lumen naturale his, & quidem ad fidem, sufficere posse statuit? & cur mutos atque surdos in solô mortis Articulô idoneos esse convivas Cœnæ æstimat? Aut enim credunt in mortis Articulô, aut non. Si hoc, cur eos admittit, contra Apostoli prohibitionem? Si verò illud, cur, qui credunt in mortis

Arti-



Articulò, non crederent extra illum Articulum? Aut, cur is Minister, qui agnoscit fidem in mortis articulò, non cognosceret eandem in iis extra mortis articulum?

§. 44. Errat quoque *Diana*, qui Part. V. num. 6. Resol. 7. facetur, non reperiri à se, agitatum hunc casum inter Doctores: an surdus & mutus à nativitate sit non solum in articulò mortis, sed etiam in vità communicandus? dum in eam inclinat sententiam, illos solum posse admitti, consentientibus *Jobanne Sancio, Zambrano & Palao*, qui & jejunandum esse ante communionem, sciat, & credat, panem desinere ad præsentiam Christi. Vides hic, Jesuitam plus sollicitum esse, ut errores Pontificiorum de Transsubstantiatione & Jejunio defendantur, quàm ut rectè conscientis consulatur, & ea, quæ Deus circa Sacramentum hoc observari & credi iussit, facta atque lecta conserventur. Nihil ille de verà fide. Nihil de Christi morte & meritò. Nihil de verà contritione. Nihil de cæteris. Et unde tandem certus esse poterit *Diana*, hominem talem ex fide jejunare, certèque credere, desinere panem ad præsentiam Christi? Certe unde hoc scire is potest, inde etiam patebit, eum aut verè credere, aut non credere. Confer *Sanchez in Sol. Disputat. XXVI. num. 4.*

§. 45. Sed & hic idem *Sanchezius* in eodem numero non parùm errat, dum sufficere putat muto æquè ac surdo, ut ad Sacram Coenam admittatur, si Christum suscepit in Gratià, & jejunos sit. Hac enim ratio si valeret, etiam indignissimi ad SS. Coenam admittendi essent, quales e. g. sunt, homicidæ, scortatores, adulteri, irreconciliabiles &c. etiam si pertinaces in vitiis hærent, neque poenitentiam debitò modò agerent, modò probarent, se Christum olim suscepisse in gratià, & jam jejunos esse. Quis verò temeritatem hanc probaret? Certè Apostoli Pauli verba homines isti nondum satis intellexerunt, aut eorum vim senserunt.

§. 46. Erroneam porrò P. Laymanni de Quæstione nostrâ sententiam recitasse, est eandem refutasse. Ita autem is Libr. V. Theol. Moral. Tract. 4. cap. 4. *Eucharistia potest muto & surdo à nativitate, saltem Paschali tempore, & in mortis articulo ministrari, si alioquin non indispositus appareat, quia licet talis homo distinctè edoceri atque intelligere omnia non possit, quæ ad Substantiam Sacramentorum concurrunt, sufficit tamen, si ad S. Eucharistiam accedat, tanquam ad Cibum non profanum, sed spiritualem, in anima suæ salutem divinitus institutum: plerumque autem talia colligere solent ex attentâ consideratione eorum, quæ ab aliis fieri vident, videlicet, quod cum reverentiâ Sacramentum adorent: cum devotione sumant, tanquam cibum non profanum, sed spiritualem, hoc ipsum, si nec oculis privati, nec mente hebetes sint, deprehendere possunt ac solent, partim propriâ consideratione eorum, quæ ab aliis fieri vident, partim etiam ex nutibus & signis, quæ ab aliquo instructore ipsis adhibentur. Ita Laymannus post addens: in primis non esse certum, quod tales surdi & muti speciali DEI auxilio adjuti, mysterii hujus veritatem per externa signa non agnoscant, cum tales etiam ut salvi fiant, secundum Theologorum sententiam, explicitè cognoscere debeant S. S. Trinitatem, & filium DEI incarnatum; quæ tamen difficillimè exterius sine voce & scripto exprimi possint. Subdens deinde, satis dispositos esse tales homines, si invicibili Ignorantiâ mysterii laborantes veritatem Eucharistie agnoscant, implicitè credendo, esse spirituale donum DEI, ad animæ salutem institutum, quod perinde accipere velint secundum illam intentionem, quæ ab aliis fidelibus seu à totâ Ecclesiâ accipitur, et si privatim speculativam privatam persuasionem habeant, esse aliquid purè creatum.*

§. 47. Hæc Laymannus, cujus mens, si rectè intelligitur, tandem eò tendit, admitti quidem posse surdos atque mutos ad Sacram Cœnam, verùm non tanquam ad Sacramen-



mentum propriè & in Specie dictum, sed solum tanquam ad cibum aliquem non profanum, spirituales tamen, qualis etiam extra Sacramentalis esse potest. Porro, non esse certum, eos ea specialiter credere, quæ de Sacramento credenda sunt. Deinde cibum hunc Paschali solum tempore & in mortis articulo sumendum esse. Postea sufficere fidem implicitam. Tandem non obstare, etiam si privarim speculativam privatam persuasionem habeant, esse aliquid purè creatum. Hæc verò omnia ita comparata sunt, ut muti atque surdi à Sacra Cœnâ planè excludendi veniant. Non enim ex ejus sententiâ credunt verè & specialiter, quâ igitur ratione cibi etiam Spiritualis, qualem hic describit, salutariter participes fieri poterunt? Deceptio hæc potius, quàm vera Deoque grata comestio esset. Deinde, si cibus ille non est Sacramentalis, neque dici poterit, quod ad Sacramentum admittantur, qui eâ fruuntur, ut reliqua taceamus.

S. 48. Propius ad Scopum tendit *Ferdinandus de Castro Palao*, qui Part. 2. Tract. 21. puncto 10. num. 9. ita pronunciandum esse statuit: *Si ex signis & nutibus constet, surdos simul & mutos discretionem habere, qua sufficienter hunc Cibum cœlestem à profano distinguant; non solum in mortis articulo, sed etiam tempore Paschali, eis concedenda est Eucharistia, quia est his valdè necessaria, tum ad augmentum gratiæ, tum ad præcavenda peccata. Neque necessarium est, ut perfecte qualitatem hujus cibi agnoscant; sufficit si illum ita à profano distinguant, ut tanquam remedium suæ salutis accipiant. Credendum enim est hæc notitiâ Christum contentum esse, cum perfectior haberi nequeat. Quod si prudens confessorius non qualemcunque discretionem, sed maturam & perfectam cognoscat habere mutum & surdum, non solum tempore Paschali, sed aliis quoque solemnioribus festivitibus poterit Eucharistiam concedere, quia nulla apparet ratio, ob quam sit deneganda, cum ad illam suscipiendam possit*



possit, se per actualem devotionem disponere. *Hactenus Palão.*

§. 49. Sed in eò dissentire nos oportet ab hoc Ferdinando, dum primò confessionem Sacramentalem partim ad solum mortis articulum, partim ad tempus Paschale restringit. Secundò, dum notitiam tantum requirit generalem, quã communicantes persuadeant sibi, esse eam confessionem non merè profanam, sed remedium aliquod salutis suæ. Tertiò, quod remedium hoc salutis velit ex opere operatò efficax esse. Et quartò, quod statuit, posse se communicantem per actualem devotionem disponere, ut dignus sit conviva Sacramenti, quod tamen Sacramentum propriè dictum non esse æstimat.

§. 50. Sed jubet nos instituti præsentis ratio hic quiescere, & reliqua, quæ huc afferri poterant, in aliud tempus seponere, si quidem DEO placuerit. Sit nunc

SOLI DEO GLORIA,

Paralipomena, quædam ex *Gisbertò Voëtio* addita.

¶ Ta enim is Part. II, Disp. Select, p. 424. Quis sit status salutis surdorum? *Resp.* Surdi sunt vel à nativitate, vel ex causa postea superveniente. *Posteriores*, si quidem tamdiu auditu gavisi fuerint, ut literas discere potuerint, & aliqua fidei elementa imbiberint, ex lectione scripturæ ad fidem & resipiscentiam actualem perducuntur. *Prioris* sunt nati & educati, vel extra Ecclesiam, vel intrà eam. De extraneis, adultis & in peccato viventibus ac morientibus, idem judicandum, quod de aliis omnibus infidelibus & impenitentibus; de extraneis verò infantibus in infantia morientibus, idem statuendum, quod de aliis infantibus Gentilium. De foederatis & intrà Ecclesiam natis, si in infantia moriantur, idem dicendum, quod



quod *supra probl. 25.* De foederatis & intra Ecclesiam natis atque educatis, siquidem ἀπόστολος conscientiam coram Deo & hominibus retineant, & ad aliquam Evangelii cognitionem per signa sermoni æquivalentia adduci possunt, & fidem suam suis signis vicissim profiteantur; nihil aliud judicandum, quàm de aliis fidelibus, fidem suam ore & opere profitentibus. Hinc etiam est, quod tales surdi aliquando ad Cœnæ communionem admissi sint. Confer *Melant.* in *Consiliis part. 1. p. 268. & part. 2. p. 284.* NB. NB. In historiâ lanienæ per Pontificios exercitæ in valle Tellinâ Anno 1620. refertur exemplum surdi & muti, qui mortem subire maluit, quàm Missam frequentare. Sed si impietatem vitæ & moribus non profiteantur, nec tamen ex ullis signis percipi possit, eos promissiones Evangelii percipere & fide amplecti; sine qua tamen adulti salvari non possunt: de ipsorum salute censendum (saltem quod ad defectum fidei actualis in Christum,) quod de infantibus; aut ipsorum causa DEI judicio relinquenda.

Idem Part. I. Politica Ecclesiastica Lib. II. cap. II. p. 649.

Quæst. An cœci, surdi & muti ad Baptismum sint admittendi?
Resp. De cœcis adultis Baptismum petentibus, & fidem pietatemque, tum verbis, tum vitâ profitentibus, nullum debet esse dubium, ut nec de infantibus foederatorum. De adultis surdis & mutis (de infantibus modò natis talis quæstio moveri nequit) non parum laboratur. Quod si ab aliquo doceri possent literas, uti hoc aliquando factum *Cap. preced.* retulimus; utique res in salvo esset; quia per scripturam fidei suæ confessionem ederent. Difficile mihi semper visum est, quomodo Theologiam supernaturalem, quod ad fundamentales articulos de Trinitate, de persona & officiis Christi, de que ejus adventu in carnem ante tot secula, ejusdemq; ascensione in cœlum & reditu ad judicium, atque adeò de totò foedere gratiæ, & lapsu Adami, & statu peccati, ac miseriæ liberatione

tionem



tione per signa & gestus visibiles ab aliis ritè doceri possint. Ut ipsi rite edocti, assensum suum & confessionem signis indicent, non esset forte tam ἀκατάληκτον. Extraordinarios motus (qualis Baptistæ Luc. i. v. 44.) aut internas, absque externi verbi auditu, (quod tamen medium fidei ordinarium, Rom. 10. v. 17.) in mentibus aliquorum inlocutiones atque illuminationes, ut non facilè posuerim; sic nei fidem negare ausim narrationi *Danei in Isagoge Christ. part. 4. Lib. 5. cap. 15.* Surdi, inquit, & muti adulti possunt quoque *Sacramentis participare*, si quo pacto, aut ratione, aut signo rationem fidei suæ reddere queant: qualis fuit Aureliæ, quod est oppidum ad Ligurim in Galliâ, *Merardus* nomine, mutus etiam à natura, & surdus, quem & D. Beza & ego vidimus, qui suæ fidei rationem perspicuè (*nota*) reddere potuit, *Melanchthon in Consil. part. 1. p. 268* edit. in 8, testatur Gothæ mutam quandam per gestus significasse, se intelligere aliquid de Evangelio. Et talem censet admittendam esse ad coenam. *Idem part. 2. A. 1557.* refert, pariter iudicatum esse de illâ Gothanâ à Lutherò, Justo Jona, Pomerano, Menio, &c. *Ibidem* ad similem casum propositum respondet, admittendam esse; adjecto hoc argumento, Quia promissio pertinet ad infantes &c. & plus consilii sit in mutis & surdis. Quod argumentum tantùm spectat surdos ex foederatis natos.

Locus, ad quem suprâ provocat, habetur *Tract. eod. Cap. I. p. 641.* Refertur admiranda Industria Monachi cujusdam in Italia, qui surdos & mutos animi sui sensa scriptò exprimere docebat, & aliorum scripta vicissim legere atque intelligere.

Ibid. p. 767. quærit, an surdi & muti ad Coenam sint admittendi, & pag. seq. 768. ad antecedentia Lectorem remittit, & responderet: De surdis suprâ Sect. præced. de Baptismò actum est: quæ huc transferenda.

F I N I S.

